



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

42. An filius alicuius Officialis Regij alicubi communitatis possit ab  
Episcopo illius loci ordinari? Ex part. 8. tr. 2. res. 13. p. 289.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

RESOL. XLII.

An filius alicuius Officialis Regis in alicubi communitatis possit ab Episcopo illius loci ordinari? Ex p. 8. tra. 2. Ref. 13.

§. 1. **H**ic casus in Lusitania accidit in praxi, & ad illum sic respondet Aluarus Vallaescus ro. 1. allegat. 5. n. 37. & seqq. Ex prædictis apparet, quod inter modos contrahendi domicilium, ille vnus est, quando quis in aliquo loco habet dignitatem, vel officium Regis, vel Reginae, vel Domini illius loci, vel Consilij ipsius; quod tamen sufficit ad congruam eius sustentationem; & de facto ex eo viuatur, & habitationem habeat in eodem loco, vel in eius comitatu, in quo ea dignitate, vel officio fungatur.

2. Occurrit in facto, quod in Senatu Portugallensi, officio Senatoris, simul & Cancellarij fungebatur doct. summus, & integerimus Senator Ludouicus Machado de Gouuea; vnde postea creatus est Cancellarius Senatus superioris, qui vocatur vulgari sermone, *Casa da supplicação*, & nunc inter Senatores Palatij cooptatus, eius legitimus filius ex legitimo matrimonio natus Olyssipone Emmanuel Coutinho de Castello Branco, Doctor in Iure Canonico volebat ordinari, & Ordines petebat ab Illustrissimo Episcopo Diocesis Portugallensis Domino fratre Gondicalo de Moraes; legitimum fuit an idem Ordines conferre posset propria iurisdictione, tanquam subdito suo domiciliario, an verò esset necessarium asserre dimissoria ab Illustrissimo Archiepiscopo Olyssiponensi.

3. Dubitationem faciebat, quod originis domicilium habebat in ciuitate Olyssiponensi, ex qua oriundus erat, non in domicilio, vbi pater Senatoris, & Cancellarij officio fungebatur: contrarium tamen fuit euidens: nam pater censetur domicilium habuisse in ciuitate, & Diocesi Portugallensi, vbi habitabat, dum in ea prædictis officiis fungebatur, percipiens ex pecuniis regis salarium competens ad suam sustentationem, & habebat locum Ord. d. t. 56. in pr. & l. penult. ff. de Senat. vbi sic ait Iureconsultus Paul. Senatores licet in vrbe domicilium habeant, tamen ibi vnde oriundi sunt, habere domicilium intelligebantur, quia dignitas domicilij adiectionem potius dedisse, quam permutasse videtur. Et sic in duobus locis habet domicilium, quod ius admittit, l. assumptio, §. iurisprudendum ff. ad municip. gloss. verb. domicilium, in d. c. cum nullus, de tempor. ord. in lib. 6. gloss. 1. Bartol. Alberic. Bald. Rebuff. n. 3. & Orosc. n. 2. in d. l. penult. ff. de Senat. Idem probatur in l. pen. C. de incolis, lib. 10. vbi gloss. Lucas de Penna, & Platea, Andr. Gail. d. cap. 36. n. 1. lib. 2. præd. obseruat. Caldas in consil. pro Domino Ioanne de Tassis, n. 12.

4. Atque sicut pater ibi censetur habere domicilium, sic etiam ipsius filius in sua potestate retentus censetur habere vltra domicilium originis, & posse vti domicilio patris habitando cum eo, l. 2. leg. 3. vbi gloss. & Alber. ff. ad municip. & ita verificatur dispositio text. in d. c. cum nullus, dum dicit posse conferre Ordines Episcopum eius Diocesis, vbi ordinandus vel habet originem, vel beneficium, vel domicilium quod potest verificari tam in proprio domicilio paterno, & docet ad nostrum intentum Nauar. consil. 11. Et hæc omnia docet Vallaescus loc. cit. cui adde Marchinum de sac. Ordin. tr. 1. p. 5. cap. 7. n. 11. & Acognam in Decret. Gratiani, p. 1. dist. 71. n. 13. cum Machado de perfect. Confess. tom. 2. lib. 4. p. 1. n. 3. docum. 3. n. 7. vbi sic ait: Pero ha se de advertir, que los hijos de los ministros perpetuos del Rey, como

son los oidores, &c. aunque no estan con animo de permanecer perpetuamente donde tienen los oficios, sino antes de mudar se a otras partes, donde fueren promovidos, no obstante que (como dice en ley) por razón del oficio, & dignidad, no son ciudadanos de aquel lugar: como consta de otra ley contraen alli domicilio, y este basta, para que los vnos, y los otros, como domiciliarios se puedan ordenar con el Obispo de aquel lugar. Ita ille, & ego.

RESOL. XLIII.

An si quis habeat duo domicilia, possit uterque Episcopus illum ordinare?

Et quid dicendum est de eius filio?

Et quid si sit alibi natus fortuito, modo explicato? Ex part. 8. tr. 2. Ref. 14.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue. Hinc si quis duo domicilia sub diuersis Episcopis haberet, in quibus si non æquis mathematicis temporibus, saltem prope æqualitatem habitaret, posset indifferenter à quocumque ex his duobus Episcopis ad Ordines promoveri, quia ratio e vtriusque domicilij sit singulis subditus. Et ita docet Auetia de sac. Ordin. 9. 3. sect. 6. Torreblanca in præd. iur. spirit. lib. 2. c. 13. n. 11. ex l. habeo, l. assumptio, l. eius ff. ad municip. cap. 2. de sepult. in 6. cap. penult. de tempor. ord. cod. 111. Hanc etiam sententiam tenet Molfesius in sum. tom. 4. tract. 2. c. 2. num. 6. Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 24. n. 2. Marchinus de sacram. Ordin. tract. 1. part. 5. cap. 7. n. 10. & Præpositus in 3. part. de sacram. Ordin. quest. vnic. dub. 14. n. 135.

2. Sed quid dicendum de eius filio? Respondeo debere recipere ab Episcopo loci, in quo natus est, cum parens ibidem haberet domicilium, quia ibi non est natus fortuito, & Episcopus loci verè est Episcopus originis.

3. Dices: etiam alius potest dici Episcopus originis, ratione domicilij paterni. Respondeo negando assumptum, quia vt aliquis alibi natus, censetur natus certo loco ratione domicilij paterni (saltem in ordine ad præsens negotium) debet esse natus in illo alio loco fortuito, seu cum parens non haberet ibidem domicilium, quod hic non contingit.

4. Quid si sit alibi natus fortuito, modo explicato. Respondeo, eo casu singulos Episcopos posse censeri Episcopos originis ratione domicilij paterni, cum non sit potior ratio vnus, quam alterius. Ita Præpositus loco citato.

RESOL. XLIV.

Quando quis dicatur contrahere domicilium, et Episcopus possit illum ordinare?

Et aliqua aduertuntur pro Clericis exteris, qui cum dimissoriis suorum Ordinariorum in ciuitate Neapolitana morantur. Ex p. 8. tr. 2. Ref. 15.

§. 1. **D**ico, quod constituitur domicilium, cum quis in locum aliquem maiorem partem bonorum transfert, l. cines, C. de incol. & ibi contrahit, dies festos celebrat; aliter enim sola emptio domus, vel alicuius partis bonorum, non facit domicilium, l. liberus, §. solus ff. loco cit. cap. dilectus 2. iuncta gloss. verb. domicilium, de rescript. cap. et Dominicis, iuncta gloss. 1. de Paroch. & alia gloss. in cap. nullus, cit. in 6. verb. domicilium. Holt. in summa de foro compet. n. 4. Sum. Ang. Arm. verb. domicilium. Quod si bona non adsint; acquirere dicitur quis domicilium vbi habitat longo tempore; & continuè, cum animo, seu aliquo adiuncto actu, seu signo assumpti domi-